

contulisset. Hic ab omnibus laudabatur, excipiebatur manibus aliis extravagantibus factaque erat sedes Petri in diversorium Simonis et quod ante fuerat gratiae iam pecuniae videbatur. Tandem sicut Domino placuit Gerardus Florentinae sedis episcopus natione Bûrgundicus omnium desiderio et consensu ad apostolatum promotus ab omni clero et cardinalibus confirmatus, dictus alio nomine Nicholaus Romanae ecclesiae miseriam ingemiscens et symoniacae hereseos periculum expavescens volens huiusmodi perversam consuetudinem ex Dei virtute succidere, synodum statuit, in qua confirmantibus omnibus iuxta modum superius comprehensum anathema constituit. Cuius exempli formam Romae legimus et episcoporum omnium nomina qui causae intererant subter notata conspeximus. Decreti ergo huius constitutione neglecta et anathematis cura postposita non expectato regis assensu mentem ad apostolatum Ildebrandus intendit seque anathematis vinculis et omnes suos complices obligavit.¹

Vere iudex a nullo iudicari potuit nec ipse a quoquam fuit iudicatus; sed si etiam papa fuit, semet ipsum tamen ipse dampnavit,² ideo videlicet, quoniam a puero terrenae militiae studuit, rebus bellicis semper operam inpendit, multimodis sese homicidiis immiscuit, sacrilegio se polluit, periuriis obligavit. Super haec in parentes filios armavit, milites in reges inmisit, servos in dominos concitavit, pacem ecclesiae toto orbe removit.³ Nam cum adhuc adolescentulus monachus diceretur, magnam sibi peccuniam congregavit et quasi sub specie⁴ defendendi et liberandi Romanam ecclesiam satellitium fecit et sicut solebat apud Romanos antiquitus fieri, donativa sua singulis militibus erogabat.⁵

Hieronymus: Columba, inquit, si viderit aliam avem trahere cibum a nido eius, non movet pennam neque ungulam neque rostrum neque crocitat. Sic Ecclesia Dei quae vera columba est non repetit raptum, et sicut ovis tunicam dimittit tondenti se neque aperit os, sic ecclesia raptori extollenti sua non debet repetere sed cum patientia dimittere. Quanto terrenis ecclesia minuitur, tanto spiritualibus augetur. Item Johannes papa ad Angelbergam imperatricem excusans quendam episcopum Reatinum de militia: Nimium, inquit, veretur et certe iure formidat contra professionem sui ordinis secularem militiam exercere; terram defendere praeliis, tractare de armis terrenae est potestatis. Item

¹ l. II p. 167 Z. 38—p. 168 Z. 9.

² l. II p. 169 Z. 15—17.

³ l. II p. 169 Z. 32—35.

⁴ In der Handschrift steht nach WILMANS spe.

⁵ l. II p. 169 Z. 39—42.